

purgare per praesens hoc statutum intendimus, et si ipsi testamentarii in ratione in aliquo negligenter aut minus bene voluntatem testatoris executi fuisse inventi et notati fuerint, a dominis de capitulo iuxta eorundem beneplacitum poterint propterea puniri.

*Ne aliquis plures dignitates, personatus aut officia habere possit, sed unico illorum contentus esse debet.* Ne hoc, quod in multorum et universitatis commodum a summis pontificibus concessum videtur, singulorum avaritia pervertat, et cum sit iuri et sacris canonibus contrarium, ut quis in una ecclesia plura beneficia dignitates personatus aut officia obtinere et possidere possit, quare animarum confratrum nostrorum interitus viam praecludere cupientes statuimus, ut de cetero perpetuis futuris temporibus nullus canonicus, cuiuscumque dignitatis nobilitatis aut eminentiae sit, duas dignitates aut duos personatus aut duo officia aut dignitatem cum personatu aut officio aut personatum cum officio et e contra simul et semel in ecclesia nostra Misnensi obtinere et possidere possit aut permittatur, videlicet quod nullus possit esse maior praepositus, et aliam dignitatem, ut est praepositura Haynensis, praepositura Budisnensis, et ut sunt archidiaconatus Nisicensis et Lusatiae, simul habere et possidere possit, aut etiam personatum et officium, ut sunt custodia scholastrica et cantoria, sed unico illorum quoquo ex illis habito contentus esse debet. Hoc idem statuimus de decano et aliis duobus praepositis Haynensi et Budisinensi, etiam ut nullus canonicorum possit esse archidiaconus et aliquam dignitatem personatum aut officium simul habere, etiam nullus personatus duos aut officia, ut sunt custodia scholastrica et cantoria, simul habere et possidere possit aut permittatur, sed quilibet una dignitate, unico personatu aut unico officio contentus esse debet, et si alicui ex canonicis prius aliquam illarum dignitatum aut personatum aut officiorum habenti de alia dignitate, personatu aut officio aut per electionem aut collationem aut quovis alio modo provisum fuerit, tunc ille integrum mensem ad deliberandum habeat, quam illarum dignitatum aut quem personatum aut quod illorum officium dimittere volet, et si elapso mense nullum illorum elegerit, ex tunc vigore huius statuti et iuris ratione ambobus privatus esse debet, et possunt, si talis est dignitas aut officium aut personatus, quod ad electionem pertineat, illi, qui ius eligendi habeant, alium ex canonicis eligere, et collatores, ad quos collatio spectat, alteri conferre, aut alio quocumque modo, ad quem provisio talis dignitatis officii aut personatus spectat, alteri cum illis provideri et sibi a dominis de capitulo possessio dari. Nolumus tamen hoc statuto capellas illas, scilicet sanctorum Jacobi, Mariae Magdalenae et Joannis baptistae comprehendere, sed quod canonicus, qui emancipatus et integratus cuiuscumque dignitatis aut status sit, unam illarum cum dignitate aut personatu vel officio libere habere et possidere possit, non autem earum duas aut tres, sub poena ut supra de dignitatibus officiis et personatibus expressa.

Nach dem jetzt vorhandenen ältesten, gegen Ende des 16. Jahrhunderts angelegten Statutenbuche fol. 2—16 im Stiftsarchiv zu Meissen.

No. 1310. 1499. 14. Aug.

*Fridrich, Cristoff und Jorge von Korbitz Brüder versprechen 3 Schock jährl. Zinsen, auf fünf Männern und deren Gütern im Dorfe Sporwitz (Sporbitz, Par. Dohna), welche sie auf Wiederkauf dem Domprobst Dechant und Capitel für 156 rhein. Goldgülden 12 Gr. verkauft haben, binnen zwei Jahren wieder einzulösen. Geben zu Dresden — am mitwochen nach Lorenci.*

Orig. auf Papier im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden.